

quatenus negative, 2^o. an sit consulendum Sanctissimo super dispensatione matrimonii rati et non consummati?

52. Si constet de impotentia præcedenti et perpetua, Congregatio respondet ad 1^m. *affirmative*; ad 2^m. *provisum* in 1^o. Si autem de impotentia non satis constet, sed constet matrimonium non fuisse consummatum, simulque adsint causæ sufficientes ad dispensationem concedendam, dubiis solet respondere S. Congregatio ad 1^m. *Providebitur in 2^o*; ad 2^m. *Affirmative*.

Per hanc disciplinam immutata est dispositio cap. 6. h. t. Nam in cap. 6. sententia Judicis erat solummodo declaratoria, qua nempe matrimonium nullum declarabatur ob impotentiam antecedentem et perpetuam. Unde si tractu temporis apparuisset impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium solum redintegrari debebat.

53. In actuali autem disciplina intercedit dispensatio auctoritativa, qua si adsit vinculum matrimonii rati illud solvitur. Unde si deinde appareat impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium non redintegratur. Constare autem debet matrimonium non fuisse consummatum; quoties enim appareat consummatum fuisse, dispensatio non conceditur, et conjuges tenentur conversationem conjugalem, idest individuum vitæ consuetudinem restaurare. Porro non-consummatio matrimonii probatur communibus argumentis judicialiter cognitis, idest ex confecto processu resultantibus.

54. Causæ autem dispensationis præsertim sunt maxima dissociatio animorum, fundatum dubium de impotentia alterutrius conjugis, periculum incontinentiæ, et aliqua coactio moralis adhibita, ut matrimonium contraheretur.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

1. Interdictum Ecclesiæ lato sensu sumptum opponitur legi Ecclesiæ irritanti matrimonium, et proinde complectitur omnem prohibitionem Ecclesiæ, qua matrimonium illicitum redditur, non tamen invalidum. Unde nomine interdicti Ecclesiæ veniunt omnia impedimenta impediencia matrimonium.

Interdictum Ecclesiæ stricto sensu significat impedimentum impediens in specie quod dicitur *Ecclesiæ vetitum*, de quo infra.

2. Antiquitus impedimenta impediencia hisce versiculis concludebantur:

'Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Aut si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent conjugium sociandum.'

3. Non amplius hæc omnia impedimenta vigent, sed quæ adhuc extant ad quatuor reducuntur, scilicet: 'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum'.

Ecclesiæ vetitum significat prohibitionem superioris, qua alicui in particulari interdicatur celebratio matrimonii.

Superior hic potest esse Pontifex, vel Episcopus, vel etiam Parochus.

4. Pontifex uti vidimus in 1^o. tit. hujus libri potest prohibere matrimonium etiam cum clausula irritante, quo in casu si contrahatur matrimonium, non solum est illicitum sed etiam invalidum, quia Pontifex, qui potest per regulam generalem statuere impedimentum dirimens, potest etiam illud statuere relate ad individuum.

Episcopus etiam prohibere quidem potest matrimonium, at nunquam ejus prohibitio constituit impedimentum dirimens, sed solummodo impediens.

5. Immo licet prohibeat Parocho, ne assistat alicui matrimonio, tamen quia Parocho remanet titulus Parochi, si matrimonio assistat, valide coram eo contrahitur matrimonium. Ita S. Congregatio in respons. dat. a. 1581. ad dubia proposita ab Episcopo Siennensi, et in '*Savonens.*' 2. Martii 1595. Ex cap. 3. h. t. infertur etiam Parochum ex justa ratione ad tempus posse inhibere celebrationem matrimonii. Hæc enim est differentia inter Parochum et Episcopum, ut Parochus, quia non habet fori externi et judicialis jurisdictionem, possit inhibere solummodo matrimonium extrajudicialiter, et absque censuris, Episcopus vero possit, sive extrajudicialiter, sive etiam judicialiter, adhibita etiam censurarum comminatione. C. 2. h. t.

6. Contrahentes matrimonium, spreto interdicto Ecclesiæ, ex eodem c. 2. h. t. graviter peccant.

Pœnæ in specie non adsignantur. Hinc pœna infligitur ex arbitrio Episcopi, juxta qualitatem contumaciæ, et facti circum-

stantias: immo puniri etiam possunt testes dolose assistentes matrimonio. Ita S. Congreg. Conc. in Floren. die 10. Febr. 1679.

De aliis tribus impedimentis adhuc vigentibus jam vidimus in 1^o. tit. hujus libri.

7. Nunc historice et ad intelligentiam veterum canonum breviter agimus de reliquis impedimentis impediens, quæ sive ex lege contraria, sive ex consuetudine vel ex toto vel saltem ex parte abrogata fuere.

Primum impedimentum est *Catechismus*.

Hoc duplex est, vel compaternitas ex Catechismo, vel Catechismus ignoratus.

Relate ad 1^m. Catechismus quoad præsentem materiam erat instructio fidei, quæ olim fieri debebat catechumeno ante fores Ecclesiæ antequam baptizaretur. *Can. 54. De Consecr. Dist. 4.* Ex hac instructione, quæ habet aliquam relationem ad generationem spiritualem, Canones dixerunt compaternitatem oriri inter catechantem et catechumenum, qua matrimonium inter eos celebrari impediatur juxta *cap. 5. De Cogn. spirit. et cap. 2. eodem tit. in VI^o.*

Compaternitas catechismi a Tridentino sublata est, juxta ea quæ disseruimus in *tit. de cogn. spirituali*.

8. Defectus autem Catechismi, idest sufficientis instructionis in rudimentis fidei, constituebat impedimentum impediens matrimonii. Hic defectus hodie potest constituere rationem, qua Parochus ad tempus inhibeat matrimonii celebrationem.

9. Secundum impedimentum erat *incestus*. Scilicet incestuosus absolute prohibebatur licite contrahere matrimonium. *Cap. 1^o. 'De eo qui cognovit' et Can. 20. caus. 32. q. 7., et Can. 4. caus. 35. q. 3.*

10. Tertium impedimentum impediens constituebatur ex *Raptu*, eo casu quo sponsa alterius fuisset abducta, ita ut raptor non posset licite contrahere cum quacumque alia muliere. *Can. 34. caus. 27. q. 2.*

In aliis autem casibus raptus matrimonium dirimebat quando mulier abducta libere non consensisset, secus vero solummodo impediabat.

Quidnam de raptu dicendum sit jam vidimus in impedimento raptus explicando.

11. Quartum impedimentum impediens matrimonium erat *uxoricidium*, absque ullo intuitu et spe alterius conjugii. *Can. 5. caus. 32. q. 2.*

Dixi '*absque intuitu et spe alterius conjugii*' ut hoc impedimentum impediens distingueretur ab impedimento *criminis*, quod matrimonium dirimit.

12. Quinto. *Susceptio propriæ prolis*, idest si quis absque necessitate proprium filium e sacro fonte susceperit, in fraudem debiti maritalis erga alium conjugem, soluto actuali matrimonio, ab alio matrimonio contrahendo prohibebatur. *Can. 5. caus. 30. q. 1.*

13. Sexto. *Mors presbyteralis*, idest occisio presbyteri prohibebat interfectori, quominus matrimonium inde contrahere posset *cap. 2. De pœnit. et remiss. tit. 38. lib. V.*

14. Septimo. *Solemnis pœnitentia*, quæ ob gravia crimina infligebatur, constituebat impedimentum impediens, quo fidelis pœnitens ante obtentam reconciliationem cum Ecclesia arcebatur a celebratione matrimonii. Indecens enim erat, nuptiali lætitiæ vacare, tempore salutaris tristitiæ et afflictionis. *Can. 12. et ult. caus. 23. q. 2.*

15. Octavo. Tandem juxta *can. 13. caus. 27. q. 1.* ille, qui sibi in uxorem accipere præsumpsisset *Monialem* Deo consecratam, prohibebatur quominus matrimonium cum alia qualibet muliere contraheret. Quin immo *can. 6. de Pœnit. distinct. 1.* ita statuit: 'Si quis, non dicam rapere, sed attentare solummodo, jungendi causa matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.'

Qua in re adnotandum est, Gratianum non retulisse canonicam dispositionem, quia sacri Canones pœnam mortis non infligunt, sed dispositionem juris civilis Justiniani in *t. 1. cap. De Episcopis et Clericis*, retulisse, ut etiam juxta leges civiles malitia cognosceretur seductionis vel raptus mulieris Deo sacræ.

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

1. In legibus civilibus hoc erat receptum principium: 'Filius est quem justæ Nuptiæ demonstrant'. Hoc principium a nostro jure adoptatum est; *cap. 2. h. t.*

Justitia autem seu veritas nuptiarum non a civilibus sed a legibus ecclesiasticis determinatur; ita scilicet ut nuptiæ justæ et veræ illæ sint, quæ a nulla lege ecclesiastica irritante prohibeantur. Quare qui hisce nuptiis constantibus nascuntur filii, habentur uti proprii et legitimi, quamvis constet mulierem non semel fuisse adulteram.

2. Hæc vero præsumptio legitimitatis filiorum, absolute loquendo, est solummodo juris. Quare non excluditur probatio directæ contrariæ; cap. 4. h. t. Hæc probatio deducitur ex separatione conjugum, et ex absentia, vel impotentia temporanea, vel alio impedimento viri.

3. Immo favor legitimitatis in jure tantus est, ut legitimi habeantur filii nati ex matrimonio nullo, quod ab utroque conjugue, vel saltem ab alterutro uti validum retinetur, cap. 14. h. t. dummodo tamen matrimonium non fuerit contractum clandestine, idest absque præviis denunciationibus, vel contra vetitum Ecclesiæ. Quo in casu ob defectum debitæ diligentiae a jure præscriptæ, bona fides conjugum filiis non prodest, quia a jure non præsumitur bona fides parentum, qui impedimentum scivisse, vel saltem affectatæ ignorantiae rei fuisse videntur, idest ideo debitam diligentiam omisisse, ne impedimentum si quod esset detegeretur. c. 3. *De Clandest. Desp.*

4. Adhibitis autem solemnitatibus ab Ecclesia statutis, quælibet impedimenti ignorantia, sive juris, sive facti, dummodo cæteròquin non sit affectata, prolis legitimitati juvat. Ex sensu enim cap. 3. citati, nocet legitimitati filiorum solummodo scientia vel affectata ignorantia impedimenti dirimentis.

5. Filii qui non nascuntur ex matrimonio valido, vel saltem putativo in sensu explicato dicuntur *illegitimi*. Illegitimi autem dividuntur in varias classes. Alii dicuntur illegitimi *naturales*, scilicet qui nati sunt ex parentibus, inter quos vel tempore conceptionis, vel saltem tempore natiuitatis matrimonium consistere potuisset. Qua in re jus canonicum correxit jus civile, juxta quod *naturales* dicebantur filii nati ex concubina. Concubinatus autem qui a civilibus legibus quadam honestate decorabatur prorsus condemnatus est ab Ecclesia *can. 4. caus. 32. q. 4. et Conc. Trid. sess. 24. De Reform. Matr. c. 8.* Non enim alia conjunctio carnalis maris et fœminæ inter fideles admitti potest tamquam legitima, quæ non fuerit matrimonio consecrata.

6. Alii illegitimi dicuntur ex Jure Civili *spurii*, quique vel *quæsi*, vel *nothi* vulgo dicuntur. Hi sunt qui incertum habent patrem, et proinde nati sunt ex meretrice. l. 33. ff. *De statu hominum*. Jure autem Canonico sub genere spuriorum veniunt filii nati ex parentibus inter quos neque saltem tempore natiuitatis poterat matrimonium consistere. Hinc genus hujusmodi comprehendit etiam filios natos ex damnato coitu, quorum alii *adulterini* appellantur qui nempe ex adulterio nascuntur; alii dicuntur *incestuosi*, quorum nempe parentes ligantur vinculo consanguinitatis vel affinitatis in linea obliqua, vel vinculo alterius impedimenti dirimentis; alii *nefarii* appellantur, quorum parentes consanguinei sunt vel affines in linea recta; alii *sacrilegi*, qui nempe nati sunt ex Religioso, vel Moniali, vel Clerico in sacris ordinibus constituto.

7. Illegimitas exprimit defectum juridicum personæ, quia jus considerat personam quasi maculatam culpa ipsa parentum. Scilicet filii illegitimi, coram societate, referunt signum et quandam imaginem incontinentiæ parentum, cujus vitii, experientia teste, non raro imitatores fiunt.

At quoniam defectus ex natalibus est juridicus, non autem in ipsa persona realiter existens, hinc ab ipso jure invecum est remedium legitimationis. Hæc legitimitatio pluribus modis fieri potest.

8. Primus modus est per *subsequens matrimonium* inter parentes filii illegitimi. Ita in Cap. 1º. et 6º. h. t. Et quidem conceptus juridicus hujus legitimationis, juxta Doctores, est ut per fictionem juris retrotrahatur matrimonium ad tempus, quo filius vel conceptus vel saltem natus est. Quare per subsequens matrimonium legitimantur omnes et soli filii illegitimi naturales, non autem spurii, cujuscumque sint speciei. Cit. Cap. 6. h. t. Non enim per fictionem juris supponi potest matrimonium, eo tempore, quo a lege irritante matrimonium prohibebatur. At naturales quidem illegitimi legitimantur. Et hæc quidem conclusio valet licet matrimonium sit solummodo ratum, licet contrahatur a sene vel infirmo, in remedium conscientiae, quia semper est matrimonium.

9. Controvertitur inter Doctores, utrum legitimitatio prolis sequatur ex matrimonio non vero sed putativo, quod nempe uti validum ex bona fide reputatur. Si attendatur modus loquendi canonum, canones effectum legitimandi non tribuunt bonæ fidei, sed ipsi matrimonio. Ergo eo deficiente, videtur non fiat legitimitatio.

At contrariæ sententiæ sua non deest ratio. Nam cum defectus natalium sit solummodo defectus legalis, idest coram societate, videntur satisfacisse conditioni ad illum tollendum conjuges, qui omnia posuerunt, quæ sufficiunt ad inducendam in societate credulitatem legitimi matrimonii.

Et quidem modus hic legitimationis ob favorem matrimonii amplissimus est, ita ut filii nati ex utroque parente libero, legitimentur, non solum quoad paternam hæreditatem, sed etiam quoad Ordines, et honores. *Gloss. in cap. 6.* Conceditur enim hæc legitimatio ab ipsa lege; et revera legitimus est filius, quem lex legitimum habet.

10. Verum hic favor matrimonii non impedit quominus quoad aliquos effectus civiles, et quoad jura nobilitatis specialis, vel status, vel foundationis, legitimati per subsequens matrimonium, legitime natis non comparentur.

11. Insuper ex Constit. Sixti V. *Postquam. 3. Decemb. 1586.* ad Cardinalatum assumi non possunt qui legitimi facti sint per subsequens matrimonium. Ab assumendis enim ad hanc dignitatem, quamcumque illegitimitatis notam arcendam esse decernit.

12. Secundus modus legitimandi procedit per *rescriptum Principis. Cap. 13. h. t.*, ex quo patet Romanum Pontificem quoad jura spiritualia posse quidem legitimare quoscumque illegitimos in universa Ecclesia, quoad vero jura civilia posse id efficere solummodo in statibus jurisdictioni temporali ejusdem subjectis.

13. Aliquando autem *indirecte* legitimatio Pontificis potest effectum etiam civilem parere. *Cap. 13. h. t.* Scilicet si aliquod jus civile adnexum est alicui dignitati Ecclesiasticæ, et aliquis legitimus fiat ad dignitatem illam assequendam, obtinet etiam jus civile adnexum. Quo in casu Rescriptum Pontificis directe operatur relate ad officium seu jus Ecclesiasticum, indirecte autem relate ad jus civile. Exemplum afferunt de feudo adnexo alicui Episcopatu.

14. Quoad legitimationem ex Rescripto Principis, adnotandum est legitimationem concessam a laico Principe non reddere personam habilem ad ordines et ad beneficia Ecclesiastica. Laicus enim Princeps non habet potestatem in rebus spiritualibus.

15. Quoad vero utriusque Principis Ecclesiastici et sæcularis legitimationem animadvertendum est, per ipsam in genere concedi

omnia jura, quæ legitimis competunt. Duplex autem fieri debet limitatio. 1º. Limitari possunt per aliquam clausulam jura quæ conceduntur. 2º. Princeps per rescriptum non præsumitur concedere legitimationem in præjudicium jurium tertii, vel statuti, aut consuetudinis particularis. Hinc nisi adsit clausula derogans, hæc jura integra manent. Ex. gr. si adsint filii legitimi, illegitimus factus legitimus per rescriptum Principis non admittitur in successionem honorum paternorum, nisi adsit hæc clausula 'non obstante quod adsint filii legitimi'.

16. Similis exposito est alius modus legitimandi, nempe *dispensatio*. Hic modus in eo consistit, ut si aliquis ob defectum natalium non possit jus aliquod particulare obtinere, ex dispensatione superioris illud jus assequatur.

Quare legitimatus ad Ordines Minores, vel beneficia simplicia obtinenda, non censetur legitimatus ad Ordines Majores et beneficia duplicia. Qui legitimatur ad Ordines Majores, non censetur legitimatus ad Prælaturas, quia dispensatus illud solum jus consequitur, pro quo dispensationem obtinuit, nisi aliud jus in primo contineatur.

17. Specialis est dispositio Gregorii XI. in Const. '*Etsi*' 3º. *Idus Novemb. 1374*; in qua statuit illegitimos ex dispensatione legitimatos cum clausula ut possint obtinere Canonicatus, vel Dignitates in quibusvis cathedralibus, metropolitanis, et patriarchalibus Ecclesiis, non posse promoveri ad canonicatus dignitates in tribus Ecclesiis Patriarchalibus Urbis Romæ, nisi in litteris dispensationis mentio fieret de eisdem Patriarchalibus Ecclesiis, et de eadem Gregoriana Constitutione.

18. Si quærat quoniam Superior in Ecclesia dispensare possit in *defectu natalium*, reponimus: potest Pontifex habilitare illegitimos ad omnes Ordines, et ad omnia beneficia Ecclesiastica c. 13. h. t. Romanus enim Pontifex est supra jus commune. Episcopus autem in sua Diœcesi potest dispensare in defectu natalium ad suscipiendos Ordines Minores, et ad obtinenda beneficia simplicia. Ita in *cap. 1º. 'De Filiis Presbyterorum' in VI.*

19. Tandem modus legitimandi est *Professio religiosa* quæ tamen legitimatio concedit quidem habilitatem ad ordines usque ad Presbyteratum *inclusive*, non autem habilem reddit personam ad Prælaturam.

Modus autem hic imitatur quodammodo veterem legitimandi modum, qui fiebat per *Oblationem Curiae*. Siquidem liberi illegitimi offerebantur Curiae pro substituendis officiis ejusdem, et si Princeps recepisset illegitimum, hic fiebat legitimus.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud
testificari.

1. Matrimonium accusat *'qui accedit ad Judicem competentem, sive judicialiter, sive extrajudicialiter cum intentione vel impediendi matrimonium contrahendum, vel dissociandi jam contractum'*. Quando agitur de matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, non solum ipsi conjuges et propinqui in gradibus proximis, aut alii quorum interest, matrimonium vel impedi si contrahendum, vel dissolvi si celebratum fuerit, sed quicumque ex populo, qui impedimentum cognoscit, potest, et generatim etiam tenetur, illud Judici revelare. Ita ex sensu cap. 3. h. t. Ratio est ne sub specie conjugii damnata commercia viri et mulieris foveantur. Quare accusatio hujusmodi recensetur inter causas populares, in quibus juxta Romanum jus quisque de populo agere poterat.

2. Hæc quidem de ipsa accusatione facienda. Nam aliquando ipsa accusatio ad matrimonium solvendum non admittitur; scilicet non proceditur ad dissolvendum matrimonium, si accusatio ab extranea persona proponatur. Hæc exceptio locum habet in hypothesis impedimenti impotentiae alterutrius conjugis, in qua hypothesis Doctores tenent, ad accusandum admitti solummodo conjugem potentem, quia si remoto periculo incontinentiae vellent conjuges cohabitare simul et conversari ceu frater et soror, procedendum non esset ad dissolvendum matrimonium, sed permitti posset hæc cohabitatio juxta *cap. 4. et 5. De frigidis et malef.*

3. Quamvis accusatio matrimonii a legibus ad vitanda illegitima connubia foveatur, tamen non omnes ad accusandum matrimonium indiscriminatim admittuntur. Hinc ab accusando repelluntur, qui accusare dignoscuntur ad turpem quæstum faciendum. c. 5. h. t.

4. Necnon repelluntur qui tempore denunciationum cognitum impedimentum non manifestaverunt, quia præsumuntur agere non juxta rei veritatem, sed ad vexam creandam pacificis conjugibus, et proinde merito uti suspecti prohibentur. Excipitur casus, quo aliquis posset allegare ignorantiam denunciationum. Ita in cap. ult. h. t.

5. Juxta cap. 2. h. t. accusatio fieri debet personaliter, nec admittitur accusatio per epistolam. Ratio est quia accusatio est actus odiosus nec facile admittendus, qui insuper inservire debet ceu basis judicii instituendi.

6. Circa tempus utile ad proponendam accusationem notamus non valere dispositionem civilem præscriptionis 30 vel 40 annorum, juxta *legg. 3. et 4. c. 'De præscriptione'*, sed etiam post lapsum hujus temporis a celebrato matrimonio accusationem proponi posse. Ratio est quia matrimonium invalidum non redditur validum per lapsum temporis, idest per præscriptionem.

7. Quæritur quinam testes esse possint contra matrimonium?

Etiam quoad testes matrimonium censetur causa popularis ob peccatum vitandum. Hinc omnes admittuntur ad testimonium faciendum contra conjugium, dummodo notitiam impedimenti habuerint, nec sint suspectæ fidei (arg. c. 17. De Testib.). Quare etiam propinqui, immo pater contra matrimonium filii, et viceversa, potest testis esse cap. 3. h. t. Qua in re derogatum est generali regulæ can. 4. et 5. caus. 35. q. 6. juxta quam regulam, nec pater filii, nec filius patris testis est idoneus. Ratio derogationis est, quia propinqui censentur præ aliis arcere velle periculum peccati, et quia præsumitur impedimentum cognosci facilius a propinquis, quam ab extraneis, præsertim si sermo sit de consanguinitatis et affinitatis, necnon de impotentiae impedimento. Propinqui enim cognoscunt facile stipitem communem, et facile inter propinquos ob fiduciam revelatur impotentia alterius conjugis. Quæ ordinaria agendi ratio causa fuit, cur in probatione impedimenti impotentiae inducta fuit praxis audiendi testimonium *septimæ manus* propinquorum.

8. Ceterum ipsorum conjugum testimonium, etiam juramento firmatum non facile admittitur ob periculum collusionis. *Cap. 'Super' 5. 'De eo qui cognovit'*.

9. Ad complementum materiæ tituli Doctores quærun, quinam sit Judex competens causarum matrimonialium.

1^o. Sub nomine causarum matrimonialium principaliter veniunt causæ, quæ respiciunt vinculum matrimonii. Jam vero existentia vel non-existentia vinculi conjugalis inter fideles pendet ex valore vel nullitate Sacramenti. Quare causæ matrimoniales exhibent naturam causarum spiritualium, et proinde apud Judices Ecclesiasticos sunt pertractandæ et definiendæ, quemadmodum definit Concilium Tridentinum *in can. 12. sess. 24. De Ref. Matr.*, non autem tractari ac definiiri possunt a iudice laico.

10. Verum jure ordinario in prima instantia non a quolibet Iudice Ecclesiastico, sed a tribunali Episcopi tractandæ et definiendæ sunt. Hinc a Iudice ordinario inferiore Episcopo ex jure proprio non possunt videri et decerni causæ hujusmodi. *Trid. sess. 24. De Reform. Matr. c. 20.* Diximus a tribunali Episcopi. Unde etiam a Vicario generali possunt hujusmodi causæ tractari; et quoniam Vicarius capitularis obtinet jurisdictionem ordinariam Episcopi juxta *cap. 11. De Major. et Obed.*, sequitur etiam Vicarium capitularem easdem causas cognoscere et iudicare posse.

11. 2^o. Si sermo sit de quæstionibus connexis cum quæstione vinculi, patet etiam illas videndas et definiendas esse a Iudice Ecclesiastico.

Nam diversa resolutio quæstionis connexæ inducit diversam opinionem super valore vinculi. Hinc quæstio de legitimitate prolis non ad iudicem civilem, sed ad Ecclesiasticum pertinet, quia legitimitas prolis est proprius et immediatus effectus validi matrimonii, nec supposita validitate matrimonii potest denegari legitimitas prolis, et viceversa.

Pariter quæstiones de sponsalibus, impedimentis, denunciationibus, necnon quæstiones de separatione quoad torum et cohabitationem pertinent ad iudicem Ecclesiasticum; quia quæstiones hæ sunt quæstiones vel juris vel facti connexi cum ipso matrimonii vinculo.

12. 3^o. Quæstio esse potest circa jura civilia ex. gr. dotis, successionis, et honorem familiæ. Quæstiones hujusmodi quamvis exoriantur occasione matrimonii, per se civiles sunt, objectum enim habent civile, et si matrimonium respiciunt, illud respiciunt solummodo relate ad effectus civiles. Quare si principaliter tractantur quæstiones hujusmodi, apud Iudicem civilem sunt proponendæ.

13. Sed si accidentaliter proponantur in causa ecclesiastica coram Iudice Ecclesiastico, poterunt ab eodem tractari et definiiri tamquam partes et accessiones ejusdem iudicis principalis, quia iudex potest videre causas ordinis inferioris incidentes in causa principali suæ jurisdictioni subjecta.

14. Dixi *inferioris ordinis*, quia si causa incidens est superioris ordinis, quemadmodum est causa spiritualis præ temporali, ob majorem nobilitatem spiritus præ materia non potest iudex causæ principalis videre quæstionem incidentem. Hinc in causa legitimæ successionis hæreditariæ, si quæstio moveretur circa valorem matrimonii, iudex laicus procedere non posset in causa, sed expectare deberet donec Iudex Ecclesiasticus viderit causam matrimonialem.

15. Qua in re advertendum est Doctores concedere iudici laico facultatem videndi causas spirituales, quando respiciunt nudum factum ex. gr. utrum contigerit necne matrimonialis contractus, vel solummodo concubinatus intercesserit. Item utrum locum habuerit necne factum collationis beneficii. Ratio hujus sententiæ Doctorum est quia nudum factum etiam in materia spirituali, cum per se jus non secumferat spirituale, potest considerari ceu res civilis, quæ non minus ecclesiastico iudici, quam laico magistratui patere potest et de eo constare.

16. 4^o. Si sermo fit de punitione criminum, quæ relationem habent cum matrimonio, ut sunt adulterium, incestus, causa est mixti fori, hinc datur locus præventionis. Causæ enim hujusmodi æque habent ad Ecclesiam et ad civilem societatem relationem. Sed re bene perspecta, juri magis consonum videtur si causæ quæ instituantur directe ad punitionem et vindictam criminis proponantur in laico tribunali; causæ autem, quæ occasione criminis instituuntur in ordine ad jura et obligationes conjugales, vel suspendendas, vel tollendas per divortium perpetuum proponantur coram Iudice Ecclesiastico: *cap. 5. c. de Procurat.*, in quo causa adulterii ad pœnam legalem tractari dicitur in tribunali laico, causa autem adulterii ad separationem tori tractari dicitur in ecclesiastico tribunali.